



## **Codex diplomaticus Brandenburgensis**

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für  
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche  
Haus-Angelegenheiten

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1861**

205. Capitulation des Markgrafen Albrecht als Erzbischofes von  
Magdeburg, vom 28. März 1514.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56615)

würckliche Regierung kommet vnd dasselbe vier Jar lang inne hat vnd besitzt, so soll Ausgangs des vierten Jahres seines Regiments das Ampt Gernsheym mit seiner Zugehorung, welches vom Styfft Maynz dem Landgrafthumb zu Hessen vmb zwey vnd vierzig tausent Rheinische Gulden vorfetzt vnd verpfendet, an Beschwerung des Stiffts Maynz oder seiner Vnderthanen wiederumb darzu gelöset vnd gelediget werden. Zu Vrkont mit vnsern anhengenden Ingefigel besiegelt vnd geben zu Cöln an der Sprew, an Freytag nach dem Suntag Oculi, Christi geburt funfzehen hundert vnd darnach im vierzehenden Jar.

Gersfen's Codex V, 369. 370.

205. Capitulation des Markgrafen Albrecht als Erzbischofes von Magdeburg,  
vom 28. März 1514.

Nos Albertus, Dei et Apostolice Sedis gratia Administrator Archiepiscopalis Ecclesie Magdeburgensis, Primas Germanie et Administrator Ecclesie Halberstadenfis, Marchio Brandenburgensis, Stetinensium, Pomeranie, Cassubie et Sclauorum Dux, Burggrauus Noribergensis et Rugie Princeps, confitemur et notum facimus per has nostras presentes literas, Quod nos omnes et singulos articulos infra scriptos, conjunctim et diuisim, et eorum quemlibet tenere et obseruare debemus et volumus in omni forma infra scripta. Primosque hujusmodi articulorum quatuor ad obseruandum et tenendum promittimus: Alios vero tenere et obseruare corporaliter juramus.

In primo promittimus, Quod nos nostrum officium ex parte nostri Archiepiscopatus in ordinario Ecclesie Magdeburgensis scriptum, presertim et specialiter in his temporibus anni, videlicet in Cena Domini, Pasche, Pentecostes, Natiuitatis Christi et S. Mauritii in propria persona exercere et facere volumus. Excepto tamen legitimo et nobili impedimento, quod nobis rationabile tunc videretur et appareret; Volumusque, quando commode poterimus, personaliter ordines celebrare et alia nostra officia Archiepiscopalia sine Simonia agere, vel legitime impediti, sicut premittitur, fieri et exercere permittere et disponere.

II. Item quod nos volumus reformare nostras Ecclesias et Monasteria Ciuitatum Diocesis Magdeburgensis secundum nostram possibilitatem, atque ordinare et disponere fieri omni anno rationes et computationes a Monasteriis redituum ipsorum perceptorum et expositorum, et cum nostro capitulo recipi, atque Seruicia et onera antiquitus consueta ab ipsis Monasteriis nobis fieri et impendi.

Item III. Si Domini de Capitulo aliqua statuta facerent, quibus Vicarios nostre



Ecclesie Magdeburgensis, quorum Vicarie a Nobis, vel ab ipsis conferuntur, ad seruitia diuina et alia rationabilia plusquam huc usque adstricti sunt, et huiusmodi seruitia diuina certis temporibus fienda adstringerent: Quod illa approbare et confirmare volumus. Quodque nostri Vicarii in conferendo eis Vicarias, prius promittere debeant atque jurare huiusmodi statuta obseruare.

Item IV. Quod statuta et consuetudines nostrorum Capituli et Ecclesie confirmare et approbare volumus.

Item V. juramus, Quod nos nulla bona ad nos verisimiliter deuoluenda, vulgari-ter Angefelle, si apud unam personam existant non habentem filium, filios, fratres seu Patruos qui cum eadem persona conjunctim infeudati sunt, et ad nos sic deuoluerentur et deuolui possent, se extendentia ultra triginta florenos Rhenenses annui census ac redditus aut dicta bona tantum valerent in se, quod si emptioni exponerentur, quod ex precio iuste emptionis triginta floreni Rhenenses emi communiter possent, alienis in feudum dare seu assignare, sed ea bona pro reemptione bonorum a mensa nostra venditorum aut impignoratorum et pro nostra mensa volumus et debemus referuare.

Item VI. Quod nos nullum consensum dare volumus, quod nostri armigeri, clientes et vasalli bona eorum, que a nobis et ab Ecclesia nostra in feudum tenent, sine nostri Capituli consensu et voluntate impignorari possint et valeant, ultra triennium et quando hoc capitulo notificabitur, et quod triennio elapso bona sic impignorata absque mora et dilatione redimantur sub pena.

Quod etiam VII. bona et feuda militaria, que Vasalli nostri a nobis in feudum habent, nemini alteri quam aliis Vasallis militaribus seruire volentibus et debentibus sine ejusmodi Capituli voluntate et consensu in feudum dare.

Item VIII., quod nos nostrorum predecessorum ligas, siue confederationes iustas et obseruatas, in quibus ad ipsas sigillandum, promittendum et obseruandum obligamur; Nec non etiam singulas litteras predecessorum nostrorum et capituli sigillis super his sigillatas, juxta et secundum ipsarum tenores sigillare, et ad seruandum promittimus, neque nouas absque consensu et voluntate nostri capituli facere volumus.

IX. Non possumus conferre ulla beneficia, prelaturas aut dignitates ad cap. spectantes alicui alteri quam integram prebendam habenti et capitulari, presertim beneficia infra scripta videlicet Preposituram in Engern, Preposituram in Biebra, Preposituram in nova ciuitate Magdeburgensi, Thesaurariam in Capella Domine nostre sub aula nostra Archiepiscopali Magdeburgensi, omnesque Archidiaconatus in Ecclesia nostra, Scholastriam, Custodiam, Cantoriam, Cellariam, Vicedominatum cum suo jure, camerariam cum jure suo ordinario et extraordinario in et per Judeos Magdeb. et Hall. prout tamen per nos et capitulum nostrum diffinietur; et oblegium in Conre Ecclesias siue Ecclesiarum collationes Bideritz, Borne, Alslene, Schartovv et Wartenberge, sic et quemadmodum a predecessoribus nostris huc usque obseruatum est. Si autem nullus capitularis predictas prelaturas et beneficia habere vellet, ex



tunc nos possumus hujusmodi domicellis Ecclesie nostre prebendis puerorum prebendis, ad hoc idoneis et habilibus conferre, vel nulli alteri absque capituli voluntate. Insuper infra scriptas Ecclesias Bigern, Wettin, Conre, Lobechune, Resegan, Domschleue, Louburg et Tuchem, non debemus neque volumus conferre, sed hoc tenere ut consuetum est.

Item X. Nos non debemus neque volumus nostros officiales siue officiosos clientes, prefectos, Judices, familiares, vel quenquam ex parte nostra, Nosque in et contra nostros prepositum, Decanum, Prelatos, Canonicos, Vicarios ac Dominorum et nostre Ecclesie ministros conjunctim vel diuisim ullo modo manus extendere seu injicere capiendō, aut alias violentiam inferendo facere vel fieri permittere. Si autem cum ipsis aut ipsorum aliquo temporibus nostris aliquid agere aut causam vel causas contra eos aut aliquem ex his habuerimus, hoc debemus et volumus coram nostro capitulo juxta nostre Ecclesie consuetudinem, in Jure et Justitia experiri et expedire.

Item XI. Nos non debemus, neque volumus nostros, Prepositum, Decanum, Canonicos, capitulum et Vicarios Ecclesie nostre Magdeb. in ipsorum curiis siue habitationum domibus et ipsis Ecclesie curiis, ad nostram Ecclesiam spectantibus, et etiam aliarum collegiatarum curiis in Magdeburg, et etiam presertim memoratos dominos, Prepositum, Decanum, Canonicos, Prelatos et Capitulum conjunctim et diuisim ecclesie nostre et eorum castris, ciuitatibus, villis, bonis et hominibus, que et quos possideant et adhuc acquirant et possidebunt, aliquo modo impedire vel onerare, aut grauare aut grauari permittere, cum Judicio, vel sine judicio. Nec nos nec nostri debemus nec debent, nec volumus, aut volunt ullo modo propter ipsa ipsos impetere, reseruato tamen nobis Jure reemendi in his, ubi predecessores nostri sibi reseruauerunt. Et nos et nostri debemus et debent ipsos in omni libertate Jure et consuetudine permittere et conseruare, ipsosque in hoc in nihilo impedire, aut impediri permittere; Et debemus eos fideliter tueri, defendere et defensare sine dolo et fraude. Neque debemus, neque nostri debent ipsos grauare aut grauari permittere aut oneribus, que vulgariter Legere appellantur, onerare, nec alio modo petitiones seruitie ab ipsis postulare et recipere, sine ipsius capituli voluntate, sine dolo. Insuper nos non debemus neque volumus, nostrum officialem, aut alium quemcunque, ex parte nostri, vel sui, nostrum, Prepositi, Decani et Canonicorum archidiaconatus cum Jurisdictionibus habentium, Ecclesie nostre se intromittere, seu eorum judiciis et Jurisdictionibus se ingerere, neque aliquam Jurisdictionem concurrentem cum ipsis habere, ipsosque in eorum Jurisdictionibus non impedire seu inquietare. De confirmationibus autem beneficiorum stabit in Definitione nostri et capituli.

Nec non quoties officialem Ecclesie nostre ponemus ac constituemus, ille ad Canonicos nostros in capitulo existens transire et coram ipsis ad hujusmodi articulum presentem, sicut scriptum est, tenendum et obseruandum, promittere et jurare debeat et teneatur, antequam nos sibi sigilla presentabimus seu presentari curabimus, debemusque et volumus eidem officiali commissiones dare, ut consuetum est.



Item XII. Quod ad monetam et denarios cudendos debemus nos et volumus tenere in omnimodo et forma, prout et quemadmodum id coram predecessore nostro, felicitis recordationis Gunthero, Archiepiscopo, et capitulo nostro conuentum est et literis continetur. Si autem et in quantum nos ducentas Marcas puri Argenti consulatui Magdeb. redderemus seu perfolueremus, ex tunc nonnullam monetam viliozem seu leuiorem cudere aut facere volumus, quam quemadmodum ultima cussio iuxta tenorem prefati Domini Guntheri, Archiepiscopi, in sua albedine seu puritate tunc fuerat et extiterat: Nisi hoc cum nostri capituli consensu et voluntate fecerimus, secundum cuius consilium nos in singulis factis et negotiis monete regere et habere volumus. Insuper si aliqua discordia vel differentia inter nos et ciuitatem predictam, quod abfit, oriretur, sic quod Dominos de Capitulo de loco recedere oporteret. Quod tunc debent habere castrum nostrum Egeln aut aliud, quod elegerint cum pertinentiis et prouentibus suis, preter castra nostra S. Mauricii, Hallen et Gibichenfteyn, quo usque discordia fuerit sopita et terminata.

Item XIII. Nos non volumus et debemus aliquas diffidationes seu guerras recipere seu facere, nisi hoc cum nostri Capituli consilio et consensu faceremus, preterquam contra raptores, leues personas et receptatores eorum.

Item XIV. Nos non debemus neque volumus, nec aliquis ex parte nostra debeat aliquas petitiones in territorio nostro a spiritalibus vel secularibus, preterquam consuetam autumnalem et vernalem petitionem, recipere aut postulare, nisi hoc cum consensu et voluntate capituli fecerimus.

Insuper XV. Nos debemus et volumus Dominos Prepositum, Decanum, Prelatos, Canonicos, capitulum, clerum, Armigeros, Clientes, Vasallos, ciuitates, Territoria et homines nostre Ecclesie Magdeburgensis conjunctim et quemlibet singulariter et diuisim fideliter defendere et tueri, prout commode poterimus, requisiti contra quemcunque. Ipsosque in omnibus libertatibus, juribus et consuetudinibus iustis dimittere et conseruare iuxta omnem possibilitatem sine dolo et fraude.

Item XVI. Nos non debemus neque volumus neque aliquis ex parte nostra debet omnia donata predecessorum nostrorum Ecclesie nostre, atque testamenta prelatorum, canonicorum et cleri facta, et ante tempora nostra celebrata, vel futuris temporibus facienda aut celebranda, temporibus nostris impedire aut impediri facere, nec nos in his interponere aliquomodo, nec de bonis eorum post ipsorum mortem derelictis nos intromittere, nisi cum nostri capituli consilio faceremus et voluntate: si quis autem de clero nostro extra Ecclesiam Magdeburgensem moreretur sine testamento, ex tunc nos possumus hoc iuxta et secundum consuetudinem tenere et obseruare.

Insuper XVII. Nos non debemus neque volumus castra nostra et ciuitates S. Mauritii, Hallen, Querenfurt, Gebichenstein ordinare neque disponere neque committere, nisi cum nostre Ecclesie Magdeburgensi Vasallis militaribus ab antiquo notabiliter possessionatis sub dominio nostro cum consensu capituli. Alia vero castra et ciuitates cum honestis personis terre nostre, que nobis cum literis et fidejussoribus consuetam



et necessariam facient cautionem. Et illi cum quibus sic ordinabimus et disponemus aut committemus, debent aut debeant infra octo dies proximos ad nostros Canonicos et Capitulares et capitulum venire et coram ipsis medio juramento dicere et promittere, si contingeret, quod nos ultimum diem nostre vite clauderemus, vel alio modo Ecclesiam nostram dimitteremus, vel dimittere intenderemus, quod se cum istis castris et ciuitatibus et ipsorum pertinentiis, que et quas possident et habent, ad predictos nostros Canonicos et capitulum Ecclesie nostre Magdeb. tenere, ipsis ea et eas libera et vacua ac liberam et vacuam reddere, restituere et representare, contradictione, impedimento ac dolo sine fraude semotis, dummodo prefati Domini ipsa et ipsas postulauerint; et ab huiusmodi promissione non nisi quousque alii, quibus huiusmodi castra et ciuitates committerentur, modo supra scripto promiserint, debeant esse liberati. Hoc quoque nos volumus Et debemus ista modo tenere et obseruare toties quoties novos officiales, clientes, seu officarios ponemus. Et cum siue quando hi novi officiales, clientes seu officarii sic, ut premittitur, promiserunt, ex tunc dicti antiqui siue priores debeant sue promissionis esse liberi et absoluti et non prius. Et si quis nostre Ecclesie castra vel Ciuitates, vel Castrum, vel ciuitatem, preter capituli nostri consensum a se dimitteret, seu etiam reciperet, illi castrum aut ciuitatem nostre Ecclesie non debemus neque volumus per amplius committere et obfignare.

Nos XVIII. non debemus neque volumus aliquod castrum nostre Ecclesie, prefecture seu Aduocatie bona ad castra nostra, ad cameram nostram et ad mensam nostram spectantia, neque alia iudicia nostra spiritualia vel secularia ascribere in feudum nec impignorare, nisi hoc cum nostrorum canonicorum et capituli consensu et bona eorum voluntate faceremus.

Item XIX. Omnes et quascunque literas a felicitis recordationis predecessoribus nostris sine capituli nostri consensu datas, et ad quas ipsi consensum nostri capituli de jure, consuetudine et juramento adhibere necessario debuissent, id quod inscriptum et sigillatum est, Quod spectat ad nostram Ecclesiam, hoc debemus et volumus nos committere et recuperare secundum capituli nostri consilium pro toto nostro posse.

Insuper omnes infeudationes per felicitis recordationis predecessores nostros factas et etiam proprias, si quas fecerimus sine et absque canonicorum nostrorum consensu, et ad mensam prius ac nunc spectantes etc. Si prius feuda masculina fuerant, huiusmodi bona nos debemus et volumus recuperare et prosequi et ad castra nostra et ad cameram et ad mensam nostram reducere seu redintegrare juxta nostri capituli consilium pro possibilitate nostra.

Nosque non debemus in ciuitatibus nostre Ecclesie aliquos de nouo in solidum aut conjunctim infeudare, seu noua feuda facere, nec feuda deuoluenda vulgariter Angefelle alicui in feudum concedere ultra summam superius expressam.

Item XX. Nos debemus et volumus laborare diligentiamque omnimodam facere, quod omnia et singula bona a nostra Ecclesia alienata, abstracta, rapta, spoliata ac perditata, sicut Ecclesias, terras, castra, ciuitates, villas et feudalia, spiritualia et



secularia, ad dictam Ecclesiam recuperare et reducere presertim Ecclesiam et Dioecesim Misnensem; quod illas ad nostre Ecclesie obedientiam et subjectionem, sicut alie nostre suffraganee sunt, reducemus et subjungemus. Sic et in quantum Jus nobis competit, similiter alia castra, ciuitates, villas et bona feudalia secularium principum, Comitum, Dominorum et Vassallorum quibuscunque nominibus censeantur, que quondam ipsis aut eorum progenitoribus, aut antecessoribus a nostris predecessoribus et Ecclesia nostra in feudum data et tradita sunt, debemus et volumus ab Ecclesia nostra recognosci in feudum, illaque in aperta et bona registra deducere seu inscribere pro posse nostro iuxta capituli nostri consilium.

Insuper nos non debemus neque volumus aliquem prouisorem vel coadjutorem recipere vel alicui Ecclesiam nostram dimittere siue resignare nisi hoc cum nostri capituli consensu et consilio faceremus.

Item XXI. Nos debemus et volumus ordines nostros sacros recipere infra tempus debitum et a Jure statutum sine ulla dilatione.

Item XXII. Nos debemus et volumus nostros Prepositum, Decanum, Canonicos et capitulum fideliter defendere et ipsis auxiliari, ad emonendum eorum decimas, census, debita et redditus, ubicunque illos et illa habuerint et presertim in territorio Kotten et in aliis dominiis, dum et quando nos ad hoc requisierint, pro omni nostro posse.

Item XXIII. Nos non debemus neque volumus aut aliquis ex parte nostra debeat istas quadraginta Marcas annui census, a felicis recordationis predecessoribus nostris cum nostro capitulo de et ex procuracione in nouo opere prope Hallis Vicariis bone memorie Domini Episcopi Burchardi in Ecclesia nostra ad scriptas subleuare, nec huiusmodi Vicarios in hoc impedire, ac ipsis, quoties indigeant ad hoc, Quitantias dare debemus et volumus sine contradictione.

Insuper Nos XXIV. non debemus neque volumus, nec aliquis ex parte nostra debet fabricam et structuram nostre Ecclesie impedire in istis duodecim marcis, quas Domini S. Anthonii dant et soluunt occasione stationum et huiusmodi structurarum quas ipsi in nostris ciuitatibus et Diocesi habent et tenent.

Insuper XXV. Nos debemus et volumus literas et stationes S. Mauricii patroni nostri in Diocesi nostra, nec non auctoritatem Episcopalem absoluendi a casibus reseruatis dare et concedere.

Item XXVI. Nos non debemus neque volumus aliquas infeudaciones facere in nostrorum, Prepositi, Decani, Canonicorum et capituli nostri villis et bonis conjunctim et diuisim, de bonis his ad eos deuolutis seu deuoluendis, sed illud iuxta literarum illis desuper datarum tenores tenere et seruare.

Item XXVII. Nos non debemus atque volumus ulla dominia, castra et bona que a principibus, Comitibus et aliis nobilibus ad Ecclesiam nostram et ad nos deuolui possent, vel que alias vendita vel dimissa fuerint, infeudare conjunctim siue conjuncta manu, vulgariter in sambter hand, nec illa, que deuoluta fuerint, assignare



seu dare in feudum, neque de feudo non deuoluto, vulgariter zu Angefelle, aliquem infendare, seu alicui assignare, nisi hoc cum nostri capituli consensu et voluntate fecerimus, ultra tamen summam in articulis prius expressam.

Item XXVIII. Si castra vel Ciuitates nobis et nostre Ecclesie a dominis militibus et Vafallis aperirentur, deuoluerentur aut dimitterentur, de illis non debemus preter nostri capituli consensum, vt supra dictum est, aliquem infendare, seu alicui assignare.

Insuper XXIX. omnia et singula priuilegia et literas quascunque, que et quas Domini Prepositus, Decanus, Canonici et capitulum conjunctim et diuim a nostris Predecessoribus Archiepiscopis Magdeburgensibus aut quocunque alio habuerint, debemus et volumus tenere et seruare, quando nobis manifestentur sine fraude.

Insuper XXX. Nos non debemus neque volumus nostre Ecclesie ciuitatibus, aut alteri cuiunque aliquas dare literas, in quibus nos nostrorum predecessorum literis consentiremus, que sine nostrorum Canonicorum et capituli consensu et voluntate date sint, et que contra nos et Ecclesie nostre aut Canonicorum et capituli nostri libertates, consuetudines et Jura esse possent, nisi hoc de ipsius capituli nostri consilio et voluntate faceremus sine fraude.

Item XXXI. Nos non debemus nec volumus bona deuoluenda in Prefecturis sine Aduocatiis nostris, videlicet Calbe, Ake, Curie Molendini Magdeburgensis, Wolmerstede, Gibichenstein, Halle et Querefurde, mense nostre necessaria alienare, sec necessitatem dictarum domuum nostrarum in hoc ceteris preferre.

Insuper XXXII. Quia cum fidelibus nostris dilectis, Consulatu, Magistris Unionum ac ciuibus oppidi nostri Hallis, a predecessore nostro immediate bone memorie Ernesto jam dudum transactum et concordatum extitit, Quod ad mensam nostram archiepiscopalem bona salinaria infra scripta deputata sunt, videlicet, in fonte Teutonico octo sedes, in fonte Gutjahr viginti quatuor quartalia et fonte Hakeborn septem Nozella, una cum viginti quinque casis seu tuguriis, que ad sustentationem expensarum curie et mense nostre Archiepiscopalis libere obtinere possamus, dicimus, promittimus et juramus, quod nullam sartaginem de septem sedibus in fonte Teutonico, etiam nullam quartale de decem et octo quartalibus in fonte Metterich, similiter nullum quartale de decem et octo quartalibus in fonte Gutjahr, insuper nullam Nozellam de quinque Nozellis in fonte Hakeborn, et viginti casis seu tuguriis aliquod tugurium nulla causa vel necessitate urgente, quocunque nomine, arte vel ingenio id fieri posset, impignorare, nec perpetuo, aut ad tempus vendere, vel sub quacunque alia forma, quomodolibet alienare, neque de his quenquam infendare volumus, cuiuscunque conditionis existat, sed eadem bona sic ad nos deuoluenda non ultra supra dictum numerum sartaginum, quartalium et Nozellarum in fontibus quatuor et viginta casis prememoratis, pro nostro Ecclesieque et mense nostre Archiepiscopalis usu, utilitate et necessitate duntaxat referuare. Ita quotiescunque eadem bona salinaria in fontibus et casis ultra numerum supra descriptum deuoluta vel deuoluenda ad nos peruenerit, illa debemus et volumus



juxta continentiam literarum de consensu capituli nostri desuper confectarum, ipsis civibus et oppidanis ibidem morantibus, et nulli alii vendere, pecuniaque soluta eisdem infeudare juxta morem et consuetudinem huc usque in bonis eisdem observatam, et pecuniam sic obuenientem in nostre Ecclesie utilitatem conservare et expendere, nullique alias, ut premittitur, de eisdem feudum concedere, nec de feudo novo nondum aperto, quod in vulgari Angefelle Vocamus, alicui cujuscunque conditionis existat, providere, nisi hoc de expresso consensu totius capituli nostri fiat.

Item XXXIII. Nos non debemus neque volumus de toto isto, quod per amplius et futuris temporibus de bonis salinaribus oppidi nostri Hallensis ac aliis bonis nostris feudalibus ibidem in et extra oppidum existentibus, nobis pro parte nostra annuatim subleuandis evenerit, etiam pecuniam illam quam tali modo de comitatu et monetario in oppido nostro prefato antea recepturi simus, nullo unquam tempore aliquid sine totum sine partem, parum sine multum, alicui seu aliquibus impignorare, vendere, dando alienare, concedere, aut aliquem seu aliquos de ipsis infeudare, aut etiam alio quouis modo alienare aut alienari facere, sed istas pecunias sic de schoto, comitatu et monetaria annuatim eueniendas apud mensam nostram Archiepiscopalem servare et in nostram et Dioecesis nostre utilitatem convertere.

Item XXXIV. Juramus et bona fide promittimus, quod non volumus, nec debemus castrum nostrum et civitatem Querfurde cum suis attinentiis, usibus, fructibus et proprietatibus, prout nuper tempore predecessoris nostri immediate bone memorie Ernesti ad nostram Ecclesiam Magd. per mortem nobilium Dominorum de Querenfurdt devolutum est et in possessione tenemus, neque in toto, neque in parte, una cum bombardis et machinamentis suis in dicto castro existentibus alicui Vendere, impignorare, seu de novo infeudare vel quouis titulo in alium transferre, neque ab Ecclesia nostra alienare nullo quefito colore sine consensu totius capituli nostre Ecclesie Magdeb. antedictae.

Item XXXV. Nos non debemus neque volumus ea Vasa et Cleinodia aurea et argentea, que per predecessorem nostrum Archi Episcopum Ernestum pie defunctum ad mensam Archiepiscopalem Magdeburgensem de communi pecunia in Diocesi et prouincia Magdeburgensi excepta, emta, ordinata et disposita existunt, Nobisque per capitulum nostre Ecclesie Magdeburgensis tradenda et offerenda sunt, et illa que nobis in antea ab ipso capitulo tradi et offerri possunt, nullo unquam tempore vendere, impignorare, siue dando aut alio aliquo modo alienare, sed ea omnia et singula secundum eorum nobis tradita pondera apud mensam nostram Archiepiscopalem Magd. reservare, et, si nos forte decedere et nostram Ecclesiam et Dioecsin in vita nostra resignare contingeret ipsa omnia et singula apud prefatam Archiepiscopalem mensam dimittere. Etiam debemus et volumus hujusmodi Vasa et Cleinodia tempore nostri regiminis cum quinquaginta marcis argenti puri, si decem annos supervixerimus, meliorare et augmentare.

Item XXXVI. Nos non debemus neque volumus aliqua absoluteione aut di-



spensatione uti, nec in auxilium contra omnes et singulos articulos supradictos aut ipforum aliquem specialiter, quomodo, qualiter et unde nobis evenire seu ordinari possit, etiam a sanctissimo Domino nostro Papa, aut aliis nostris superioribus spiritualibus et secularibus, etiam si motu proprio et cum censuris et penis, vel alias, qualitercunque hujusmodi nobis venirent aut darentur habere: sed nos debemus hujusmodi articulos, singulis eorum punctis prefecte et integre tenere et obseruare sine contradictione et sinistra machinatione, referuata tamen super his omnibus capitulo nostro moderandi, relaxandi, interpretandi duntaxat voluntate.

Datum Coln ad Spreuam, Anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo decimo quarto, feria tertia post Dominicam Judica.

In Dreihaupt's Beschreibung des Saalkreises I, 184 und mit falschem Datum in König's Reichsarchiv Spicileg. eccles. Cont. I, 288.

206. Dem Martin von Waldenfels wird wegen Verbalinjurien, die er gegen den Kurfürsten begangen, die Strafe aufgelegt, dem Kurfürsten mit 100 gerüsteten Mannen einen Monat hindurch zu dienen, am 13. Juli 1514.

Vff fruntlich furbete meins gnedigsten herrnn Marggraue Georgen vonn Brandenburg hath mein gnedigster Herr kurfürst Merten von waldenfels zu gnaden komen lassen, nemlich Also, Nachdem Merten von Waldenfels vnfern gnedigsten Hern mit groben schmelichen worten belestigt hath, der er auch bekentlich gewest ist, Darumb sein kurfürstlich gnad mit vnrath vnd straff gein Im bewogen worden vnd nicht vnbillich, so er sich aber entschuldigt, das soliche wort vnbedechtiger weifs von Im geredt vnd vndertheniglich Bitten lassen, die vngnad abzustellen vnd die Straff gnediglich gein Im furzunehmen, hath vnser gnedigster herr, der kurfürst, vff fleißig fruntlich furbete meins gnedigsten Herrn Marggrauen Georgen vnd seiner freuntschafft die vngnad gein Im fallen lassen vnd die straff gnediglich gestatt, Also das Merten von waldenfels vff erforderung meins gnedigsten Herrn zu Jar vnd tag seinen gnaden mit hundert geruften Mannen vnnd pferden vff seinen eigen vnd selbes schaden ein Monat aus dienen vnd gebrauchen lassen soll, So er aber mit den I<sup>c</sup>. geruften Mannen vnd pferden An die stat komet, dahin seins gnad In thut bescheiden, wil f. k. gnad Ine vnd dieselben mit futter vnd mael besorgen, Das hat her also bewilligt vnd zugesagt, Auch soll Merten von Waldenfels sich der vnd ander vmbillichen wort vnd Rede enthalten vnd gegen seiner k. f. g. alles gehorfams vnd vnderthenigkeit seinen pflichten nach erzaigen, wo er Aber da wider thun werde, wil